

PRÆLUCENTE SOLE JUSTITIÆ!
Theorema Physicum,

DE

P A R E L L I O,

In Illustrissima ad Albim Academia

publicæ luci

ac Eruditorum examini

PRÆSIDE

M. CHRISTIANO SAMUELE

Ziegra / Wittenbergensi,

exponit

ABRAHAM J N E N E Z E L /

Budislin. Lusatus,

RESPONDENS.

In Auditoriô Minorî, Horis matutinis,



d. 10. Aprilis Anno M. DC. LXXX.

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

Meteorol.
399, 65.



ADJUVANTE JESU!

PRÆFATIUNCULA.

SOlem adfero, non ἀεχέτυπον, sed ἐκτυπον, *Parelium*, quem docti mirantur; vulgus, uti solet, formidat. Potuissem autem deterreri remotissimâ ipsius ab oculis absentia, cognoscendiqve difficultate: mihi tamen potius addidit animum. Sperabam quippe, si cespitarem in nonnullis, nec eô, quô decebat, fundamentô ac robore omnia substruerem, faciliorem ideò L. B. mihi concessurum esse veniam. Nam suscipiendô peragendôq; ardua, eruditæ humanitatis esse arbitrabar, quædam in iis commissa non observare velle vitia. Absolvitur igitur tota Dissertatio in inqvirendâ *Parelii Naturâ*, atqve in evolvendis ejusdem, quas habet, *Causis*. DEUS faxit FELICITER!

A 2

§. 1.

Παρήλιος Græcis, & Latinis *Parelius*, ex *Πα* & *ἥλιος*. h. e. sole, componenda vox est. *Triplici* autem modo *Præpositio-* nem *Πα* hîc accipi posse docet *Meurerus*, in *Meteorol.* p. 94. Vel enim significat juxta; quia *Parelius* videtur quasi Sol novus juxta verum Solem positus: vel notat *Similitudinem rei*; quoniam *Parelius* Soli quiddam simile est: vel denique infert *depravationem & falsam speciem*; quia *Parelius* Sol falsus est, & inanis quædam imago aut species Solis non genuina. Exempla harum significationum τὸ *Πα* apud Autorem laudatum multa sunt. Inde Germanis etiam nostris *Parelius* propter situm apparentem ad latus Solis, audit eine Neben-Sonne: ob formæ similitudinem, eine gleiche Sonne/oder der Sonnen gleich; Et ob falsitatem, sive nudam apparentiam, eine falsche / eine unrechte Sonne. *Παρήλιον* Gaza vertit per Solem geminatum; Ab aliis dicitur Effigies Solis, Simulacrum Solis, Spurii Soles; à Seneca, Imago Solis.

§. 2. Non autem in præsentî loquimur de *Parelîo*, quem hîc in terris inter homines vel *Naturam ipsam fingere*, vel *humanum ingenium eleganter adaptare* cernimus. *Naturam* enim, quasi *cælum contemplata* fuisset, in nonnullis gemmis Solem radiosâ projectione stupendissimè effigiisse, refert *Kircherus Mund. Subt. Tom. II. Lib. 8. Sect. 1. c. 9.* Unde ab eo *Gemma Heliaca* audit; sibi quæ, *cen grande Naturæ miraculum à Francisco Qualdò ostensam esse*, memorat. Ut *Hominis*, in cuius ingenio Deus & Natura extremum potentia suæ ostenderunt, opera egregia, admiranda quæ in Sole effigiandò, ac augendo quasi ejus numerum, sileam potius, quàm aut de iis pauca dicam, aut leviter tangam. Loquuntur autem *Historiæ*, restatur quotidiana experientia, confirmat & (ut unum tantùm addam) *Idolum gentis Peruanæ Solare*, superioribus annis famosissimum: quod adeò mirè affabre, ex auro ad Solis imaginem confectum erat, ut quodammodo saltem radiis Solaribus externè fibratum, in tantam mox claritatem, fulgoremque excresceret, ut crederent accolæ advenæ, Solem de cælo terram versus migrare, aut sese veluti res omnes specie novâ (Logicam dicunt Philosophi) adaugere posse. Vid. *Coranus Iztapolkain Descript. terræ Peruanæ &c.* Sed nunc de *Meteoro* nostra instituta est disputatio.

§. 3. Mit-

§. 3. Mittimus Nomen ; atq; Definitionem Parelii perpendimus. Eum autem ita cum *B. Sperlingio in Instit. Phys. L. 8. c. 10.* definimus : esse *Meteororum Emphaticum ex Solis specie, receptum in nube æquali, splendida, continuâ, (densâq;) genitum, ut duo, vel plures Soles in aere esse videantur.* Genus est *Meteororum.* Id enim est Parelius non tantum ob locum, quem occupat, sublimem, ubi est amplissimum Meteororum regnum : sed etiam quia *Meteororum definitio* ei competit. Est enim Parelius effluviarum (aqueorum) affectio. Unde patet, nos alienos esse ab eorum sententia, qui cum Sagittario Parelium ex classe Meteororum excludunt, hâc ratione moti, *quoniam Parelius non est corpus naturale, sed nuda tantum ἐμφασις, atq; inanis species.* Quæ verò sententia, cum Autores isti, *Meteora corpora esse naturalia* dicitent, suâ sponte concidit. In specie verò *Emphaticum* nominamus, quò additamentò Genus h. l. velut in cardine suo verti debet. Non enim reale solidumvé, ceu apparet, corpus Solis obtinet, sed hujus tantum simulacrum, aut *Φαινόμενον*; non quidem in significato hujus vocis *participiali seu adjectivo, sed nominali atq; substanciali*: priori enim modò etiam de Hypostaticis vulgò usurpari solet.

§. 4. Explicavimus *Genus*; sequitur *Differentia.* Hæc *conjunctim* naturam Parelii exponit per Causas tum Internas, *Materiam & Formam*; tum Externas, *Efficientem & Finem.* *Efficiens Parelii causa principalis Deus est.* Non verò immediatè; sed præsentè, quemadmodum ordinavit, *Causa secunda sive naturali,* quæ h. l. vel *Proxima* est, vel *Remota Remotam,* quæ vi suâ caloricâ in Sublunaribus vehementer operetur, effluviaq; aquea è terra mirabiliter deducat, quæ materiam Parelio offerre possint, *Ignem & Calorem subterraneum esse, halitus varios creantes, ipsosq; ab usq; terrenis visceribus sursum emittentes,* *Gassendus de Meteor. cap. 2.* credit. Qui quidem globum terrenum instar magni cujusdam animalis se habere concipit, in cujus visceribus vigeat ac ferveat calor, à quo per varios ductus ac meatus per venas quasi, humores (effluvia) undiq; transmittantur. *Conf. etiam Kircher Mund. Subterr. Tom 1. Lib. 4. Sect. 1. c. 3. Sect. 2. c. 10. aliq;.* Verum nos hanc *Sideribus potius, Luna, Veneri, Piscibus, Plejadibus ac Hyadibus,* quæ permultum ad efficienda Meteora aquea conferunt, virtu-

tem adscribimus. Hæc enim uti pro maximâ suâ vi, quâ pollent, frigefaciendô, humectandô, aliâque plura præstandô, in hæc inferiora influunt; ita varia quoque è globo terraqueo extrahunt effluvia (aquea) ex quibus, ut Solis imago recipi possit, istam nubem condensari dicimus. Ita tamen, ut *sidera primariò*; ut *instrumenta verò frigus & ventos* agere, vapores scilicet ad efficiendam nubem cogendô condensandôque, simul asseramus. *Proxima Causa Sol est*, qui seipsum in idoneo capaci que subjecto exprimit.

§. 5. *Subjectum hoc sive Materia in qua, (Materiam enim ex qua non habet, nec habere potest, nec debet, quia accidens) Nubes est, quæ, ex effluviis hinc inde collectis genita, in aëre hæret. Hæc autem non est ingens quidam congelatæ nubis annulus, aut coagulata glaciei circulus: quem hinc fingit Cartesius, de Meteor. c. 5. p. 182. seqq. c. 10. p. 234. seqq., & qui cum hoc faciunt Antonius le Grand, Instit. Philos. Part. VI. Art. 14. & Hist. Nat. Part. VI. Art. II. p. 304. Henricus Regius, Fundam. Phys. c. 6. p. 113. 114. 121. & 123. & alii; sed ea, quæ sequentibus conditionibus prædita est. (1) *Æqualis Soli sit*: Si enim inæqualis esset, non uniformem reciperet imaginem. (2) *Splendida*: si enim obscura, elargiri iterum Solis speciem non posset: quia obscuræ & maculosæ nubes faciem Solis non recipiunt, perinde ut in aliis rebus asperis, maculosis atque impolitis hoc fieri videmus. (3) *Continua*: Si enim divulsa, Solis imaginem non integram reciperet, ac præberet. (4) *Densa*: nam si rara, Solis eadem formam reciperet, ac præberet. (4) *Densa*: nam si rara, Solis eadem formam reciperet, sed statim eandem rursus transmitteret. (5) *Immota consistat*: cum enim hinc inde movetur nubes, propter illam mobilitatem atque inconstantiam non potest in eam imprimi Solis imago: non aliâ ratione, atque in aquâ vehementius motâ imagines rerum disturbantur, ac dispelluntur. Denique (6) *ad latus Solis posita sit*: Si enim sub Sole esset, dissiparetur potius, non autem imagine ornaretur. Ad latus itaque subsistat, & quidem mediocri intervallô. Nam in proximo dissolveretur, & in nimis remotô nihil ea recipere posset: quod vel exemplô Speculi artificialis luculenter patet.*

§. 6. For-

102 §. 6. *Forma* hujus impressionis est *Accidentalis* illa, quam refert, *Figura*, à Sole sibi concessa. Dico *Accidentalis*, quia & ipse Parelius accidens est, quare & accidens ejusdem Forma erit. Non enim per hanc *substantiam quandam è Sole jaculatam* intelligimus; ceu hæc sententia non obscuros quondam invenit Patrones *Leucippum, Democritum, & Epicurum*: qui ut in omni visione à visibili, ita etiam hic à Sole non nudas qualitates, merave accidentia, sed integra corpora atq; exuvias quasdam diripi tradiderunt. Quam doctrinam hodie ex recentioribus Physicis multi revocaverunt, & imprimis eandem defendit Gassendus, in eo tantum à Veterum Philosophorum recedens sententiâ, quòd hi à cunctis rebus visibilibus, lucidis & coloratis imagines diripi asserant; ille verò contendat, ipsos lucis radios, non tantum lucidi corporis, à quo directè adveniant, sed & illustrati, ex quo reflexè adventent, imaginem referre. Quales verò radii isti sint, nec ipsi inter se consentiunt. Gassendus Sect. 1. Phys. Lib. 6. c. 11. p. 425. pro effluviis, è corpore lucido jaculatis, & inter emanandum repercussis, atq; huc illuc variè reflexis habet. Contra Thomas Willisius in Libellò nuperò de Anima Brutorum editò, Exercit. 1. Physiolog. c. 15. p. 111 seqq. particulas à corpore lucido emissas movere, ait, alias Symbolicas particulas aëri insitas, easq; velut accendendò luminosas reddere, atq; istas demum alias, adeoq; imaginem Solis, velut indulatione quâdam, ad nubem usq; diffundi. Alios lubens prætermitto. Quorum tamen Autorum diversissimæ opiniones eò tandem redeunt, ut imaginem Solis non meram qualitatem, sed integrum quoddam corpus esse statuunt.

§. 7. Verùm ut breviter nostram explicemus mentem, quid de hac assertionem sentiamus: Autores isti, dum particulas hæc igneas è corpore Solis egredi statuunt, ad eorum accedere videntur sententiam; qui corpuscula illa in superficie Solis, à Christophoro Scheinero Jesuita, Anno Christi 1611. Ingolstadii observata primùm, nihil aliud quàm fuligines ex Sole, tanquam ex fornace quâdam natas esse credunt; sicq; igneam Soli attribuunt naturam. Cui verò assertioni obstat, tum quòd omne igneum elementare; Sol autem cum non sit elementaris, etiam igneus esse non poterit; tum etiam quòd omne igneum, naturaliter sursum formâ
pyrami-

pyramidali moveatur, sive per lineam rectam in acumen tendat. Sol autem circulariter cum ascendat, & quandoque deorsum: Ergo ignea natura Sol non erit. Deinde si essent corpora, quæ ex Sole egrediuntur, corporum penetrationem dari, necessum foret. Imago enim Solis, dum per aërem ad nubem usque tendit, aërem undique penetrat, & hac ratione duo corpora in eodem loco existerent. Excipit quidem, sed frustra, Gasendus, Aerem suos habere poros, per quos corpusculus illis pateat transitus; cum corpora composita simplicium corporum poros permeare non sit credibile. Nec concedimus, aërem habere poros, quoniam ipse aër supplementum vacui est. Si itaque aëris essent pori, requiretur, ut alius adsit aër, qui illos poros suppleret, & hujus poros iterum alius, donec tandem in infinitum exurgeret processus, vel ad minimum vacuum aliquod dari concederetur. Et qui tandem illud, quod à Sole spargi solet, formare Parelum posset, si corpus aliquod, licet minutissimum, foret? Sanè facillimò negotiò venti cujusvis levi flabellò hinc inde moveretur, ac impediretur, quò minus per lineam rectam, uti quidem fieri debebat, nubem sibi oppositam, attingere, nedum formam Solis eidem imprimere posset.

§. 8. Equidem non diffitemur, posse Solis imagini proprietates quasdam, motum scilicet, reflexionem, figurationem, & similia, quæ tribui aliàs corporibus solent, quodammodo assignari: ejusmodi verò imaginem ideò corpus esse, eò ipsò sibi Gasendus placeat, credat Judæus Apella. Nam movetur quidem ea imago, cum à Sole ad nubem transit, sed non ad modum corporum naturalium, quibus ille motus tanquam aliqua affectio primariò competit: secundariò autem ad imaginem refertur, eò sensu, quò omne id moveri dicimus, quod ex uno loco in alterum fertur, si non per partes sui divisibiliter acquirendò locum; ad minimum tamen divisibiliter tendendò & succedendò. Quapropter & localis ille motus dici non potest, multò minus corpus aliquod Solis imago erit; cum ob hujusmodi motum de ipsis etiam Angelis idem sentiendum foret. Quòd autem reflectatur Imago Solis, ex eo pariter nondum probari corpus potest. Non enim corpori solum, sed accidentibus quoque competit reflexio; licet non eadem ratione.

ratione.

rations. Corpora reflectuntur, cum in Subiectum solidum impingunt, indeq; ob denegatum transitum resiliunt: sicut pilæ ad parietem illis evenire cernimus. Ita verò neutiqvam reflectuntur Accidentia, utpote quibus reflexio tantum per quandam Metaphoram adscribitur; dum propriè loquendo ea hanc repercussionem non efficiunt, sed corpora potiùs, in quæ pertingunt, alia numerò accidentia producunt. Illustrari quodammodò res Lunæ exemplò potest. Hæc enim cum maximam illam claritatem, quæ nocti præest, à seipsâ non habeat, à Sole, cui è regione est, eandem accipit. Et quoniam Luna alterâ parte est opaca, indeq; nec Lumini transitum concedit, in terram hoc ipsum reflectit. Ubi tamen hoc non propriè reflecti est, quia Luna tunc instar corporis lucidi se habet, lumenq; non tanquam à Sole acceptum, sed tanquam proprium in terram effundit. Idem de Parello iudicium esto. Recipit scilicet nubes, quæ altera parte opaca est, Solis imaginem, illamq; vel in aliam mittit nubem, vel ad nos spargit: verum ita, quasi novus Sol (ceu nonnullis etiam placuit) novas de se imagines produceret. Hæc enim novarum specierum productio, dum nobis reflexionis nomine venit, hanc non ut verà talem, sed ut hypothesein quandam Opticis concedimus; quales etiam plures Mathematici habent. Deniq; *Figura Rotunda* licet Parello conveniat, non tamen per se illam habet, sed ob lucidum illud corpus, Solem nimirum, qui figuram suam in corpore opaco repræsentat.

§. 9. *Accidens* itaq; cum Solis imago sit, *reale*, an verò *intentionale* nominari à Philosophis debeat? quæri potest. Ubi quidem ante omnia notandum, *reale triplici* cum primis modò hic accipi posse: dum (1) *ficto, sive entirationis*, (2) *Enti in potentia*, & (3) *Enti spiritali, seu intentionali* contradistingvi solet. Quoad primam acceptionem facilè largimur, *accidens reale* Solis imaginem esse. Non enim ficta, sed in natura, perinde ut Sol, Lux, Color &c. citra mentis operationem deprehenditur, cum vice versâ Cerberus, Chimæra, taliaq; plura, quoniam non nisi per intellectus operationem esse suum habent, non Entia realia, sed rationis salutentur. Nec inficiamur, quæ *secundam etiam significationem*

*nem accidens reale dici Solis imaginem posse. Actu enim existit; non aliter atque cœlum, ignis, terra, actu sunt: atque hœc ipsò à futuris, diei crastini, aut alterius, distinguuntur. Tertiò autem modò, de quo hic imprimis lis est, negamus, Ens aliquod reale Parelum esse. Hœc enim sensu reale illud dicitur, quod non egreditur è subjecto, neque extra subjectum suum persistit. Hujusmodi *Ens reale calor est, qui ex igne nunquam egreditur, sed ubique calor, ibi etiam ignis existit.* Ita verò minime se res cum Parelum habet, qui in subjecto suo non manet, sed longè latèque diffunditur, atque aërem, aliaque lucida corpora permeat. Accidens igitur non *reale*, sed *intentionale* Parelum est.*

§. 10. *Finis* denique Parelum est vel *Generatis, gloria DEI*: propter laudem enim nominis divini omnia fiunt; omnia à DEO; omnia ad DEUM: vel *Specialis*, isque varius (1) *Pluvia Prædictio*. Cùm enim subjecti locò nubes requirantur densiores, fieri plerumque solet, ut crassiores istæ nubes in pluvias postmodum resolvantur. Hinc in Lusitania quondam cùm tres conspecti Soles fuissent, paucis diebus transactis, cùm magna præcessisset siccitas, per integrum ferè mensem assiduos fuisse imbres, multi observârunt. Imprimis autem pluvias annunciare, si à parte Austri, ubi præsertim nubes ingravescent, constiterint, autor est Seneca, Lib. 1. N. Q. c. 3. & Aristoteles, qui ab eâ parte humoris pleniores ac fœcundiores nubes esse pronunciat. (2.) *Ventorum significatio*. Hi enim pluviam ceu individui assiduique comites ex frequenti aëris collisione nati ferè semper sequuntur: unde *Extemporaneorum* nomen apud Kircherum *Mund. Subt. Lib. 4. Sect. 2. c. 1.* nanciscuntur; formidinemque ideò maximam navigantibus incutiunt Parelum, dum non nisi certò orituræ tempestatis marinæ periculum ex Parelum, jamdudum experientiâ confirmati, metuendum didicerunt.

§. 11. Sed præter hosce duos fines proprios, nonnulli *reversium Supernaturalem* addunt: quo futurarum in *Ecclesia Politiâque* mutationum indicio Parelum esse credunt. Has enim rationes adferunt. Dicunt, Divinæ Providentiæ executionem ut plurimum mediântibus causis secundis fieri; id est, quâncunqve insoliti

soliti

soliti ac infreqventes in naturâ rerum effectus aut phænomena, quæ in aëre etiam Parelus est, conspiciuntur, illa, inquit, semper vel plerumque ex admirabili nexu, quò divinæ providentiæ junguntur, ad aliquid significandum dirigi. Nam duo Providentiæ divinæ supponere docent, *ordinationem*, & *ordinis executionem*: quarum illa virtutum *cognoscitivam*, hæc *operationem* respicit. Cùm autem DEO infinita ad ordinandum sapientia, & omnis termini experta ad operandum virtus, & potentia insit, sequi necessariò, eam omnium ordines, etiam Parelis, disponere. Hunc verò per virtutes Solares veluti per naturales divinæ providentiæ executrices, i. e. causarum naturalium concursu, per quas ipse, ceu universalis rerum causa cooperatur, exsequi. Hinc licet à Natura propriè fiat Parelus, non ut naturæ sibi relictæ, sed ut dependentis à concursu Providentis omnium, schema aut phasma suscipi debere, existimant: atque, si notabiles illud secutos esse eventus postea comperiamus, eos in causis suis jam prævisos fuisse, juxta divini Archetypi incommutabiles rationes, naturæ connexas; dicique tamen non *miracula*, sed *mirabilia* oportere: *conf. Kirch. l. c. L. 8. Sect. 1. p. 43.*

§. 12. Quoad Ecclesiam, posse ex Parelis doctrinæ purioris depravationem, disfidia, & calamitates Ecclesiæ alias colligi autumant. Nam uti Sol doctrinæ Sanctæ puritatem, ejusdemque fideles Doctores ac assertores illis notat; ita vice versâ Spurious Soles adumbrare dicunt doctrinæ depravatores, qui sese *λύχνος κακοπέυης καὶ φαινόντας* jactitant, quasi puritatem Evangelii omni studio ac pietate docerent, ac populum rudem de salute consequendâ sincerè informarent: hoc autem ipsò nihil aliud illos agere, quàm ut Parelis Soli *Justitiæ unico & catholico addant*, h. e. errores suos, mediatoresque alios, ac alia salutis media, præter Christum, ejusque salvificum meritum introducant, homines diabolo mancipent, propagatoresque divinæ & sanctissimæ doctrinæ vel dedecore & calumniis obscurent, vel è medio etiam penitus tollant. Sicut autem verus Sol fucatas illas atque evanescentes imagines vincit tandem: ita cœlestis quoque veritatis doctrinam, & qui hanc propugnant fortiter, discussis fugatisque omni-

um mendaciorum fucis, emergere tandem, & tanquam Sol purissimus, jubar ostendere clarissimum, suoque splendore illustrare omnia atque perfundere, pro certo affirmant.

§. 13. *In Statu autem Politico futura quædam prædixisse multis comprobant exemplis. Ac (1.) fœdera quidem inter Reges Principesque inita ad breve tempus.* Nam de Durero quodam commemorant Scriptores, eum, cum aliquando cum familiari suo deambularet, tres vidisse Soles congregientes, qui mox evanescerent rursus: postea verò comperisse, Maximilianum Imperatorem inducias cum Gallo, Julioque Pontifice pepigisse, quas brevi elapsò tempore nova disidia dirupissent. Idem post Parellos ante Triumviratum Augusti, Antonii & Lepidi Romæ visos, paulò post evenisse, Annales istorum temporum docent. (2.) *Bella.* Antequam de regno dimicavere Galba, Otto & Vitellius, tres Soles in aère conspecti sunt. Id quod in Hungaria quoque contigit, ubi post tres Soles ortos paulò ante Ludovici mortem, tres quoque Reges, Ferdinandus, Johannes & Solimannus de imperio contendunt. (3.) *Disidia animorumque disensiones.* Cujus rei testimonium præbet Annus à Christo natò 1157. quò discordiam inter Electores orituram de eligendo Rege Romanorum novò Parelus innotuebat. (4.) *Principum pericula, & casus.* Regem enim Poloniae, priusquam Franciscus Gallorum Rex in Hispanorum potestatem perveniret, Sex vidisse Soles, Gemma annotavit. Ut alia siccò, quod ajunt, pede præteream, quæ vel ex antiquitate adducenda, vel ex recentiorum monumentis ad eorum mentem cumulanda facilè essent.

§. 14. Verùm enim verò plura huic Meteoro adscribunt isti, quàm vel Parello adscribi natura voluit, aut Parelus etiam præstare potuit. Non equidem inficior, post exortos Parellos in aère, sæpe eventus intolerabiles, regnorum vastationes, populorum clades, Principum cædes, aliaque mala contigisse: verùm ista omnia Parellos prædixisse, nemò nisi temerè asserere conabitur. Penè dixerim cum Illustri Scaligero, Exere. 79. non tam

men

men de eâdem re agente, si generatur, Parelius signumne sit, an causa? neutrum censeo. Nituntur enim fundamentò admodum lubricò, scilicet observationibus. Et rectè mones quidam, quòd istas tantùm experientias, (ego dico Parelios) notârint Scriptores, & in literas retulerint, quæ non fefellerunt, (quas, animadvertente DEO ob peccata in genus humanum, bella & calamitates aliæ infecutæ sunt) reliquas præterierint. Et anne etiam (loquor autem κατὰ δόξαν, non κατ' ἀλήθειαν, seu ex concessis) anne, inquam, si Parelius mali ominis signum est, sanctorum ideò hominum pias preces, quibus Deum manu factâ quotidiè ambiunt, ad avertenda, quæ imminere videntur, mala irritas esse dicamus? minimè. Unde autem Ecclesiæ mala? nisi ab Hæreticorum impiorumquæ insita malitia: unde regnorum everisiones? nisi ab ipsorum hominum crudelitate ac superbia: quæ si præcedere omnia Parelii deberent, bone DEUS! totum quotidie cœlum Pareliis esset effigiandum. Neque tanta etiam superarum rerum potentia est, ut in mores hominum influendò, ad certas etiam actiones eos cogere possint, cum ratione præditi homines sint, libertatequæ suâ ad resistendum polleant. Igitur nihil Parelii ad has mutationes conferunt; sed positis causis naturalibus Pareliorum, res quoque naturales, Parelii, ponuntur.

§. 15. Has verò causas naturales, (ut jam ad *Accidentalibus* me convertam, hoc est, ad *adjuncta*, & *circumstantias* Parelii, hætenus enim de *Essentialibus* ejus agebam) cum comprimis adesse cernimus, cum Aer undique vaporibus est repletus, quod in *Vere* & *Autumno* accidit. Unde cum nubes plurimæ sint, facilè una vel plures inter eas formari possunt, quales Parelius requirit. *Frequentissimè* autem is fieri amat cum ipso Sole oriente: *Sæpe* cum occidente: *rarò* circa Meridiem. Cum oriente, inquam, Sole, quia tum vapores velut agmine factò continuâ quâdam longâquæ serie à terra ad aërem versus ascendunt, ibique in nubes conden-

tantur. Id quod etiam *Sole occidente* contingit, cum, radiis Solis recedentibus, aër vaporibus, licet non adeò crassus, iterum intumescit. *Rarò autem imò rarissimè circa tempus meridianum*, quò Sol radiis suis vapores dissipat potius, non autem facillè nubes colligi permittit. *Conspectos tamen aliquando sub meridiem Parelios fuisse, qui à matutino scilicet tempore ad occasum usq; durarint, Plinius refert, H. N. L. 2. c. 31.* Verùm hoc rarò, uti jam dictum, evenit; perinde ut etiam *nocte*, ubi Sol planè Horizontem nostrum reliquit. Et quanquam hòc etiam tempore Parelium apparuisse, quidam meminerint, ejus tamen rei causa fuit, quòd radii Solis, qui infra Horizontem delitesceret, ad nubem aliquam exantem supra Horizontem pervenire, imaginemq; imprimere potuerint.

§. 16. *Locum Pareliorum mediam ut plurimum aeris regionem credimus, quamvis nec infimam eundem denegeamus.* Fundata hac assertio est in ipsa nubium à terra distantia, quàm modò propius, modò remotius à terra nubes constant: indeq; cum in propiori, in infima, cum in remotiori, in media aeris regione Parelium existere dicimus. Quoniam verò magis in aère medio, propter maximum, quod continet frigus, nubes consistunt, quàm in infimam partem, quæ ob radios Solis refractos calidior est, adeoque, nec facillè in ea ingravescere nubes possunt; crebriora ea etiam Solis phænomena in medio, quàm in infimo aère videntur. Et maximè quidem in iis terrarum locis, quæ sub Zonis frigidis sunt, quia hic Sol non altè ascendit, sed perpetuò ferè Horizontem circumcurrit: Unde densissimæ nubes facillè congregari, congregataq; ad Parelium sistendum à Sole adhiberi possunt.

§. 17. Denique *Numerum Pareliorum quod attinet, non plures simul quàm tres suò tempore visos fuisse, Plinius testatur: sequentia tamen tempora plures ostenderunt. Quatuor enim*

enim

enim Anno 1622. Mens. Febr. die 15. Friburgi visos, ex Ruthar-
do B. Sperlingius Instit. Phys. L. 5. c. 10. refert. Quing. Anno
1629. Romæ observatos esse, Scheinerus meminit. Sex Regem
Poloniæ Soles vidisse, supra §. 13. diximus. Septem eorum
apparentium Anno 1661. die 20. Febr., Sole circa Meri-
diem constitutò, Hevelius Tract. Mercur. in Sole vis. p. 172.
mentionem facit. Denique novem Annò eòd. Dantisci
apparuisse, Schottus Phys. Curios. Iconism. 57. ostendit. Et
quamvis plures vix apparuisse legantur Soles, non obstat
tamen, quò minùs vel undecim conspici posse largiamur.
Pro numero enim nubium specularium hæc idola nascun-
tur, unde & certum Pareliorum nomen non defini-
mus: potiùs miramur mirabilia hæc naturæ specula, quòd
aptissimas sibi adeò, sive pluret sint, sive pauciores, pro sub-
jectis nubes speculares nascantur: ac veneramus
Deum horum omnium Autorem ac Dire-
ctorem sanctissimum & sapientis-
simum, cui sit

Laus, Honor, & Gloria sempiterna.



Pare-



P *Arelum* rimaris, & causas, doces,
Unde habeat, & quid conferat terræ incolis:
In Solc sic Solem intueri pergito!
In Sole sic Solem Salutis quærito!
Sic pergito; seqveris viam ad cælestia,
DEIqve & hominum te manebunt præmia.

*Ad DN. FRENTZELIUM suum benevolentia
testanda scrib.*

M. JOHANNES MÜLLER,
Pastor & Superintendens
Jessen.

